



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 73. Doctoris Depensii opinio de Santarum imaginum cultu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1562.** menti negotia ejus curæ committebantur, quæ omnia singulari prudentia, ac rara integritate perfecerat. Denique inita inter Gallos, & Hispanos pacis otii literarii cupidus Patavium fecellit, ubi studiis, & vitæ finem fecit, sepultusque est in Ecclesia S. Francisci, funus ejus curante Joanne Cavalcantio illius Filio. Præcipua ingenii, laborisque sui monumenta, quæ posteris reliquit, erant septem libri de Rhetorica, necnon Commentarius de optimo Reipublicæ statu, quem Franciscus Sanfovianus post Auctoris obitum typis mandari curabat.

## §. LXXIII.

*Doctōris Depensii opinio de sanctorum imaginum cultu.*

*Argentre  
collect. judic.  
tom. 2. p. 332.*

Cum in Galliis Parisina Facultas Theologica omnia ea, quæ novis erroribus quamcunque auctoritatem conciliare possent, prævertere studiosissima esset, hinc die prima Augusti hoc anno post Christi nativitatem millesimo quingentesimo sexagesimo secundo conventum habuit, in quo Senatus Regii decretum, quo cautum, ut librorum prohibitorum index fieret, prælegi, ac subscribi jussit fidei professioni, quam Facultas conceperat, eamque ab omnibus ad quemcunque gradum promovendis signati

signari voluit: postquam igitur Nicolaus Maillardus Facultatis Decanus præfatum edictum prælegerat, Claudius Depensius tunc præfens, qui ævi sui hæresibus favere temere credebatur, hanc fidei professionem suo chirographo approbare spondit, prætermittique hujus officii culpam adversæ valetudinis excusatione diluit. Verum Antonius Demouchius Pro-Syndicus Facultatis Doctores rogabat, quatenus in deliberationem vocarent, an idem Doctor huic fidei professioni subscribere permetteretur, priusquam revocasset, ac damnasset articulum quemdam, quem scripto ediderat, nomine tam suo, quam Salignaci, aliorumque Doctorum, qui deputati fuerunt ad colloquium, quod anno priori in oppido Sancti Germani a Laya durantibus Aurelianensium Ordinum comitiis habitum fuerat, ut jam super meminimus. Porro præfatus articulus concernebat cultum sacrarum imaginum; illius vero doctrinam fidei professioni, cui se subscripturum Claudius Depensius promiserat, esse oppositam affirmabat Demouchius, qui etiam die octava Februarii anno supra millesimum quingentesimo sexagesimo primo hunc articulum proposuit, in quo Depensius hæc profitebatur. „I. „Haud incongrue declararetur, quod

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

A a a 3

„nul-

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

„nullus homo privatus circa imaginum  
 „abusus, eorumque emendationem pu-  
 „blicam auctoritatem præveniat, sed  
 „omnes, & singuli expectent, donec  
 „Rex ex consensu, & auctoritate Ec-  
 „clesiæ ejusmodi corruptelis prospiciat,  
 „proin nulla imago deinceps absque  
 „Episcoporum auctoritate Altaribus im-  
 „ponatur: quippe ex Sancto Augusti-  
 „no, inquiebat hic Doctor, addiscimus,  
 „curandum esse, ut abusus potius ex  
 „hominum cordibus, quam ex templis,  
 „aliisque locis exterioribus eliminen-  
 „tur, eapropter necessarium est, ut E-  
 „piscopi, & Parochi, alique Pastores  
 „sæpius populo inculcent, quod sacræ  
 „imagines duntaxat ab Ecclesia fuerint  
 „receptæ, ut rudiores instruantur, &  
 „ea, quæ Christus Dominus pro nobis  
 „gessit, eo fine exhibeantur, ut pro iis  
 „Dei gloriam, laudem, & gratiarum a-  
 „ctiones reddamus, necnon in memo-  
 „riam revocemus ea, quæ Sancti in  
 „Christianæ Religionis testimonium in  
 „hoc sæculo operati sunt, ac tolera-  
 „runt, ut per horum recordationem, ac  
 „simulacra admoneamur, quatenus Deo  
 „grates rependamus, quod ejusmodi  
 „hominum ministerio uti, illos extol-  
 „lere, honorare, ac gloriæ suæ parti-  
 „cipes facere voluerit, quantumvis de-  
 „biles mortales fuerint. „

„Eccle-

„ II. Ecclesiae Rectores suos subditos Sæcul. XVI.  
 hortentur, quatenus Sanctos in sua fi- A.C. 1562.  
 de, piisque moribus imitentur, simul  
 tamen eos admoneant, ne alio fine,  
 aut intentione, quam per Ecclesiam  
 recepta, sacris imaginibus utantur: ne  
 vero hic maximi momenti articulus im-  
 moderato illorum arbitrio relinquatur,  
 qui vel ex ignorantia, vel alia de caus-  
 sa illo abuti vellent, hinc requiritur,  
 ut circa sacrarum imaginum cultum  
 quaedam regulæ statuatur, ac præ-  
 scribantur, ut quivis illas honorandi  
 modum exinde addiscat: necessitas  
 tamen suadet, ut eiusmodi regulæ cum  
 Ecclesiae auctoritate a Principe pro-  
 mulgentur, nec cuivis privato homini  
 sese sua auctoritate illis opponendi li-  
 bertas permetteretur, secus in illum  
 tanquam regiarum legum, atque e-  
 dictorum transgressorem animadver-  
 tatur: ut vero cuncta suo ordine ri-  
 ste peragantur, opto, ut obtineri pos-  
 sit, quatenus imago Sanctissimæ Tri-  
 unitatis ab Ecclesiis, aliisque locis tam  
 publicis, quam privatis eliminetur,  
 cum eiusmodi imago sit prohibita non  
 modo sacris literis, sed etiam Conci-  
 liis, pluribusque aliis tam doctrina,  
 quam sanctitate insignibus Viris, a-  
 liunde vero eiusmodi usus nonnisi per  
 Pastorum socordiam irrepsit: Idem  
 „ quo-

Sæcul. XVI.

A C 1562.

„quoque censeo de pluribus obscænis,  
 „minus honestis, imo & scandalosis i-  
 „maginibus, necnon de iis, quæ ejus-  
 „modi Sanctos, vel Sanctas exhibent,  
 „quorum vitæ historiæ, seu, ut vocant,  
 „Legendæ ab Ecclesia tanquam apo-  
 „cryphæ fuerunt rejectæ. „

„III. Existimo, quod ea, quæ spe-  
 „ciali Ecclesiæ præcepto non sunt  
 „recepta, aboleantur, ac penitus abro-  
 „gentur: inter hæc autem refero ima-  
 „ginem coronandi, vestiendi, in sole-  
 „mni supplicatione circumferendi, illis-  
 „que vota nuncupandi, vel oblationes  
 „dicandi usum: Ceterum ad quæstio-  
 „nem, an, necne sacræ imagines sint  
 „adorandæ, respondendum arbitror,  
 „quoniam eas Altaribus imponere, i-  
 „psis cereos offerre, incenso, ac saluta-  
 „tionibus honorare, & coram illis ge-  
 „nua flectere quoddam sit adorationis  
 „genus, quod Religionis cultum respi-  
 „cit, hinc opto, ut omnes imagines,  
 „excepta Sancta Cruce, ab altaribus  
 „tollantur, atque in ejusmodi locis af-  
 „serventur, ubi nec adorari, salutari,  
 „vestiri, floribus, fertisque honorari, ne-  
 „que anathemata affigi, nec imagines  
 „per plateas, vel Ecclesias humeris, vel  
 „fulcris circumferri amplius possint,  
 „prout in nupero Concilio Senonensi  
 „Parisiis celebrato prohibitum fuit. „

§. LXXIV.